

quantum sit objectum? dicamus, esse *finitum* aut *infinitum*.

2. confusa copiae, qua constat, mentione, ut si ad quaestionem quantum sit objectum? dicamus *totum* esse, aut *partem*: esse *omne* aut *quoddam*.

§. 2. *Respective* definimus, saltem inchoamenti loco, quantitatem, comparatione objecti cum sibi simili, prius tamen cognito, aut saltem supposito, quatenus illa comparatio in terminis generalibus subsistit, ut si, ad quaestionem quanta sit res? dicamus eam esse *maiores* vel *minores* alia quadam sibi simili, nobisque cognita: vel neutraliter si dicamus, hanc rem *plus* (+) *minusve* (-) qualitatis ejus in se complecti, quam res illa habet: vel etiam adverbialiter, quod perinde est, si dicamus, rem hanc *magis* vel *minus* talem esse, quam est res illa. Atque ita *totum* & *infinitum*, *totum*, *pars*, *omne*, *quoddam*, *maius*, *minus*, aut *plus* (+) *minusve* (-) adverbialiter, *magis*, *minus*, termini quantitativi sunt, quibus quantitatem inchoative saltem definire solemus.

§. 3. *Perfecte* definimus quantitatem itidem vel *absolute* vel *relative*. Et *absolute* quidem vel *formaliter* vel *materialiter*.

*Formaliter* & *actu* definimus, & quidem *perfecte*, quantitatem eorum quantorum, quae maximum aut minimum habent in suo genere, ut si quis de numero quaerat quantum sit, v. g. quot sint Planetæ? dicaturq; planetas esse septem, *formaliter* & *actu* *perfecte* definitam quantitatem habemus. Sine omni enim respectu ad aliud, nudâ tantum tot unitatum perceptione, statim clarè cognoscimus determinatam numeri planetici rationem. Item si ad quaestionem quantum sit angulus v. g. quanta sit inclinatio Horizontis ad